De genere dicendi C. Valerii Catulli Veronensis

Conrad Hupe

DE GENERE DICENDI
C. VALERII CATULLI VERONENSIS.

PARS I.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

DIE XXIV. MENSIS MAII A. MDCCCLXXI

IN PUBLICO DEFENDET

CONRADUS HUPE
HANNOVERANUS.

MONASTERII

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXXI.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE

DE GENERE DICENDI

C. VALERII CATULLI VERONENSIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

DIE XXIV. MENSIS MAII A. MDCCCLXXI

IN PUBLICO DEFENDET

CONRADUS HUPE
HANNOVERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

THEODORUS BENSELER, STUD. PHIL.
HENRICUS SEILING, STUD. THEOL. ET PHIL.
ANDREAS JANSEN, STUD. PHIL.

MONASTERII

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXXI.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE

DE GENERE DICENDI

C. VALERII CATULLI VERONENSIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

DIE XXIV. MENSIS MAII A. MDCCCLXXI

IN PUBLICO DEFENDET

CONRADUS HUPE
NNOVERANUS.

A ERUNT:

TH PHIL.
H OL. ET PHIL.
A

RII

IOS .

LXXI

Theses.

1. Creatianismus q. v. et ratione et religione probatur.
2. Horat. carm. IV, 8 v. 17 cum Bentleio non est eiiciendus.
3. Catull. carm. 61, 79 „tardet“ non est indicativus, ut Scaliger vult, sed coniunctivus.
4. Ex Catull. carm. 68 [b], 67—69 Allium quoque Lesbiae amatorem fuisse colligi non potest.
5. Tacit. ann. II, 8 „Classis—absumpti“ voces „Amisiae“ et „subvexit“ delendae sunt.
6. Soph. Antig. v. v. 905—913 Schneidewinus auctore A. Iacobo iure ut spurios damnavit.
7. Soph. Phil. v. 177 pro „παλάμαι“ legendum est „παλαχαί“.
8. Carolus Magnus nomen coronamque imperatoris non ignarus accepit.

Vita.

Natus sum Conradus Hupe anno h. s. XLVI a. d. IX. Cal. Nov. in vico prope Osnabrugium sito, cui nomen est Wellingholthausen, patre Iohanne Henrico et matre Maria Elisabetha e gente Möllering, quos adhuc viventes pia mente venerari gratum mihi officium est.

Fidem profiteor catholicam. Literarum primordiis imbutus Gymnasium Meppense, quod V. Rev. Dr. Wilken directore floret, sex per annos frequentavi atque optimorum praeceptorum disciplina eruditus sum. Auctumno anni h. s. LXVII maturitatis testimonio munitus hanc almam literarum academiam regiam Monasteriensem petii studiis philologicis operam navaturus et a rectore magnifico Ill. Cappenberg civium academicorum numero adscriptus sum. Scholis interfui per sex semestria virorum clarissimorum:

Altum, Deycks p. m., Hagemann, Heis, Hittorf, Landois, Langen, Niehues, Parmet, Rosspatt, Stoeckl, Storck, Winiewski.

Hisce omnibus viris doctissimis clarissimis, ut qui multum de me meruerint, gratias et nunc ago et quam maximas semper habebo.

VIRO DOCTISSIMO CLARISSIMO

Dr. WILKEN,

DIRECTORI GYMNASII MEPPENSIS,

OPTIME DE ME MERITO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLO.

SCRIPTOR.

Praefatio.

Ad C. Valerium Catullum, hunc elegantissimum poetarum Romanorum, postquam animum intendi simulque in universum quidem perspexi eorum opera, qui de illo scripserunt, permulta ad eum interpretandum atque intellegendum facta esse repperi. Quamquam autem eorum numerus haud parvus est, mox tamen complures mihi quaestiones extiterunt, quae ab illis viris doctis aut omnino non aut certe parum ab omni parte consideratae atque explicatae erant.

Si editiones omniaque opuscula adhuc de Catullo edita breviter comprehendimus, quae illi viri docti, quibus interpretatio Catulli haud dubie plurimum debet, cura operaque strenua, quam navaverunt poetae et enarrando et emendando, effecerunt, haec sunt: aut multas sane bene inventas res in commentaria diffusa contulerunt, ut Antonius Muretus; Achilles Statius; Iosephus Scaliger; Palladius Fuscus; Antonius Parthenius; Ianus Dousa; Isaacius Vossius; I. A. Vulpius; Guil. Doeringius; aut in recensendis carminibus elaboraverunt et ad criticam rationem correctas editiones confecerunt, ut

C. Lachmannus; A. Rossbachius; L. Schwabius; M. Hauptius; Th. Heysius; Ellis; aut de poetae vita atque ordine quo carmina sunt scripta disseruerunt, ut R. Westphalius; F. Iacobsius; C. Zellius; I. v. G. Froehlichius; W. Th. Iungclaussenius; L. Schwabius; O. Ribbeckius; aut denique singulos locos et nonnulla carmina critica grammaticaque ratione interpretati sunt, ut M. Hauptius; F. Handius; F. Ritschl; I. Pohlius; P. Boehmius; L. Schwabius; C. Pleitnerus.

Non autem mihi notum est opusculum praecipue atque proprie de Catulli dicendi genere conscriptum.[1]) Nulla autem re magis, ut scriptor omnino intellegatur, efficitur, quam accurata cognitione earum rerum, quae eius loquendi rationis sunt propriae, qua de causa operae pretium mihi visum est, hac dissertatione ea proferre, quae de Catulli genere dicendi maxime mihi visa sunt digna, quae componerentur. Hanc rem facilem non esse sentio, et temerarium videri possit, me his rebus parum exercitatum hoc interpretis munus subire velle, cui praestantissima modo ingenia paria sunt. Itaque non in poetam coniecturas inferam, nam hoc non adolescentis, qui primum in literarum arenam descendit, sed virorum est, qui ex longa et cotidiana Musarum consuetudine earum ingenium quasi in se receperunt. Coniecturam facere facillimum est, sed

---

[1]) Libellum Heussneri: „Observationes Grammaticae in Catulli Veronensis Librum. Berolini. 1870“, iam hoc opere confecto et absoluto nactus sum, ita ut antea inspicere non potuerim.

coniecturam rectam facere difficile. Eas tantum res in medium proferam, quae, postquam haud breve tempus in carminibus Catulli evolvendis consumpsi, memoratu mihi dignae esse videbantur. Si in hac re cum viris doctis, qui de poeta scripserunt, non consentio, meam sententiam ea modestia proferam, quam prae ceteris eum iuvenem decere eique maxime cordi esse debere puto, qui de sacro quodam antiquitatis monumento iudicium facere sibi sumit. Hoc loco lectorem rogare velim, ut cum venia hunc libellum legat, si scripturae genus propter insoletam rem, quam mihi conficiendam sumpsi, non tale esse reperit, quale forsitan postulet.

Libros, qui ex numero operum virorum, quorum supra mentionem feci, mihi ad ea quae scripsi componenda maximo commodo fuerunt, non enumero, quia suo quisque loco commemorabitur, sed hoc unum moneo, me veteres interpretes, quorum enarrationes sunt in editione:

„C. Valerii Catulli — opera omnia quae extant. Lutetiae. Ex officina Typographica Claudii Morelli. 1604.

ita citare: — fol. pag. —

Totum libellum in duas partes dividi, quarum prior est de etymologia, altera de syntaxi. Plurimas res prioris partis iam Heussner l. l., ut postea vidi, tractavit, qua de causa ex meo opere eas tantum typis describendas curavi, de quibus ille vir doctus aut omnino non aut minus accurate disseruit.

Opto autem, ut hac dissertatione aliquid ad Catullum intellegendum conferam, et summas agam gratias

„Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis manusque vestras
Non horrebitis ammovere nobis".

(Cat. carm. XIV[b] ed. Rossbach.)

Caput I.

De genere substantivi.

1. Quamquam Catullus haud ita crebro mirumque in modum in usu substantivi generis discedit a communi more verborum, tamen nihilo minus nonnulli loci sunt satis graves atque memoratu digni, qui in dissertatione de poetae grammatico dicendi genere respiciantur. Quinque omnino loci apud eum reperiuntur, quibus pro usitato genere inusitatum scripsit, ac quidem duo exempla leguntur apud Catullum solum; reliqua tria etiam ab aliis scriptoribus Romanis quamquam in universum raro usurpata comprobari possunt. Loci autem quos dico sunt duo primi carm. 1, 2 et 27, 3—4; tres alteri carm. 42, 4—5; 68[b], 90 et 101, 4: denique carm. 4, 1—2: 10; 14—15.

2. Carm. 1, 2:

— „Arida modo pumice expolitum?“ —

Contra communem loquendi usum, ex quo nomen substantivum „pumex“ est generis masculini, Catullum l. l. feminino genere usum esse reperimus „arida pumice,“ pro quibus verbis alii poetae editores servato genere masculino „arido pumice“ legunt, quod quidem habent omnes libri, quapropter etiam Lachmannus ita scripsit. Quaestio igitur hoc loco existit, quid Catullus scripserit, utrum nomine substantivo „pumex“ genere feminino an masculino sit usus. Qua in quaestione persolvenda ut ad certum exitum perveniamus, a loco maximi nostrae rei momenti proficisci debe-

mus, qui a Servio ad Verg. Aen. 12, 587 additus nobis est servatus.[1])

Apud Vergilium[2]) legimus:

— „Inclusas ut quum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes fumoque inplevit amaro" ; —

quibus verbis annotationem Servius interpretans adiicit:

„Pumicem autem iste masculino genere posuit, et hunc sequimur: nam et Plautus ita dixit: licet Catullus dixerit feminino." [3])

Plurimi et praecipue veteres Catulli editores Servium poetae carm. 1, 2 respicientem ita scripsisse dicunt, qua de causa legere volunt „arida" non „arido". Cf. Antonius Parthenius fol. pag. 1: „Hunc puto locum esse, in quo Seruius a Catullo pumicem foeminino genere positum asserit: ut Catullum arida pumice credam protulisse." Antonius Muretus fol. pag. 5: „Ita legendum esse ex testimonio Seruij, alij quoque annotarunt." Similiter loquuntur Ianus Dousa Fil. fol. pag. 6; Iosephus Scaliger fol. pag. 7 et Isaacius Vossius, qui in editione sua[4]) pag. 2 et ad Servium et ad Atilium Fortunatianum provocat. A me autem dissidet affirmans, nomen, de quo nunc quaerimus, etiam apud alios scriptores Romanos genere feminino in usu versari, ad quod probandum nos ad carmina quae dicunt Priapeia revocat, quo loco infra scripto legibus commotus metricis pro:

-- „ Quae succo caret, atque putris pumex," —

legi necesse esse dicit:

— „Quae succo caret, atque putra pumex," —[5])

Ut formam femininam „putra" iuxta „putris" sustineat, „putra" et „putris" nos monet eodem modo dici posse, quo

[1]) Neue, Formlehre der lat. Sprache, I. pag. 691.

[2]) Heyne, edit. min. Lipsiae. 1828. Vol. II. pag. 380.

[3]) Lachmannus, edit. Cat. pag. 3.

[4]) Londini 1684.

[5]) Burmannus, Anthol. Lat. Vol. II. pag. 505—508; Ep. 33, 7.

„hilarus“ et „hilaris“; „pronus“ et „pronis“; „sterilus“ et „sterilis“. Cum autem neque adiectivi forma „putra“ (formae, quae extant, sunt: „puter, is, e“ vel „putris, e“) neque genus femininum nominis „pumex“ ullo certo possit exemplo comprobari, cur illius carminis poetam ita scripsisse necesse est? Sane metrum pro „putris“ aliam vocem postulat, sed locus l. alio modo emendandus est. Itaque ego contra Vossium Catullum solum nomine „pumex“ genere feminino usum esse pro certo habeo.

Contra illos viros doctos, qui Catullum sine dubio „arida pumice“ scripsisse putant, Palladius Fuscus fol. pag. 2 maximeque Achilles Statius fol. pag. 3 hanc lectionem reiiciunt. Causa, quam hic affert, est: „quod cum est ipsum contra manuscriptorum librorum fidem, tum veterum omnium auctoritatem.“ Appellat Plautum, qui quidem in fabula Aulularia inscripta nomen „pumex“ genere masculino exhibet:
— „Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex.“ — sed fidem loci praestare non possum. Concedit quidem Achilles Statius, Catullum Servio auctore „arida“ scripsisse, at contra etiam affirmat, Atilium Fortunatianum et Victorinum, illos celeberrimos grammaticos, nostro Catulli loco non „arida“ sed „arido“ legisse. De Atilio Fortunatiano Achilles Statius et Isaacius Vossius inter se non consentiunt; conferatur igitur quod hic tradit de illo grammatico. Quod denique attinet ad illud: etiam Martialem 8, 72 et Plinium n. h. 36, 21, 42 lectionem „arido“ videri comprobare, statim infra accuratius de his scriptoribus nobis est disserendum. Haud dubie autem hoc loco verum est, quod Iosephus Scaliger Servium sequens fol. pag. 7 dicit: „Cur dubites de hac lectione, caussae non est, si Seruium locupletissimum auctorem habes. Quare enim illi minus, quam libris abhinc centum annis scriptis tribuendum sit, non video.“

Obloquentes illis viris doctis, qui Servium Catulli carm. 1, 2 respicientem dixisse censent, Schwabio auc-

tore [6]) Spengelius [7]) et Leutschius [8]) illa verba ad alium Catulli locum referunt. Imprimis Spengelius contradicit, qui ita interpretatur, ut dicat, Servium Catulli carm. 1, 2 respicientem ita scripsisse omnino necesse non esse, nam alium locum in animo habere potuisse. Quatenus Servius in annotatione sua non apertis verbis ipsum carm. 1, 2 in animo se habere significat, sententiam Spengelii quodammodo esse veram concedere possumus, quamquam nihilo magis quam nostra, Catulli carm. 1, 2 esse dictum, certis argumentis sustinetur. Attamen haec nostra sententia mihi verisimillima esse videtur. Nam ad quem locum apud Catullum nisi ad carm. 1, 2 illa Servii annotatio revocari potest? Excepto carm. 1, 2 semel tantum in Catulli carminibus, quae nobis supersunt, nomen „pumex“ reperimus, carm. 22, 8 dico:

— „et pumice omnia aequata.“ —

sed genus vocis ex illis verbis nullo modo colligi potest. Itaque ad extremum potest fieri, ut Servii verba ad alia Catulli carmina amissa, in quibus nomen „pumex“ erat, referamus, quod nihilo magis comprobari potest. Si praeterea Spengelius etiam Martialem 8, 72 et Plinium n. h. 36, 21, 42 legisse putat apud Catullum „arido“ non „arida“, haud dubie longius progreditur. Iam Achilles Statius fol. pag. 3, ut supra commemoravi, hanc coniecturam facit, sed loci citati eam veram esse nullo modo efficiunt.

Apud Martialem igitur Ep. 8, 72 legimus:

— „Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus.“ — [9])

Sane poeta scribit non „pumicis aridae“ sed „pumicis aridi“, ex quo quidem apud Martialem nomen „pumex“

[6]) Edit. Cat. pag. 3.

[7]) Lect. 102.

[8]) Nunt. erud. Gött. 1855.

[9]) Schneidewinus, edit. Mart. pag. 355.

genere masculino usitatum esse cogi potest, sed pro Catullo nostro hic locus nihil evincit, nam Martialis eius mentionem omnino non facit.

Si porro Plinius n. h. 36, 21, 42 dicit:

— „Sed ii pumices, qui sunt in usu corporum lev(ig)andorum feminis, iam quidem et viris atque, ut ait Catullus, libris, laudatissimi sunt" — ect.[10]) non est dubium, quin Plinius l. l. aut carm. 1, 2, aut carm. 22, 8, aut, si nomen „pumex", ut Spengelius putat, in aliquo carmine amisso extat, etiam hunc locum in animo habuerit. Spengelius autem e Plinii verbis conficere videtur, eum apud Catullum nomen „pumex" genere masculino legisse huncque secutum „ii pumices, qui — laudatissimi sunt" genere masculino scripsisse. Talem autem argumentationem pernegem esse veram.

Si igitur has omnes res de quaestione proposita disputatas examinaverimus, me puto recte dixisse satisque demonstrasse, Catullum revera l. l. a communi dicendi genere discedentem nomine substantivo „pumex" genere feminino esse usum. Quam ob rem Rossbachii editionem sequens contra Lachmannum, qui, ut iam dixi, „arido" scribit, retineo „arida", quae lectio etiam maiorem fidem accipit descriptione imagineque literarum nostri loci, quas Froehnerus Codicem Datanum 1463 sequens fecit; nam aperte ille Codex Datanus non habet „arrido" sed „arrida". [11])

Si nunc quaerimus, qua re commotus Catullus „arida modo pumice" non „arido modo pumice" scripserit, non dubito, quin numero oratorio adductus formam in „a" terminantem praetulerit, quam causam etiam Reisigius affert, qui in opere suo grammatico dicit: „Pumex wurde von Catull epigr. 1, 2

[10]) Silligius. edit. Plin. n. h. pag. 358.

[11]) Philologus, 14. pag. 568—569. — Controversen zur textesgeschichte des Catullus. pag. 568—585.

als fem. gebraucht: arida modo pumice expolitum, um die Häufung des o zu vermeiden.“ [12])

Licentia, qua Catullus hoc modo utitur, est sane magna atque inusitata, sed res nihil habet offensionis. nam poetae, ut in carminibus suis unam quandam spiritus ac soni intentionem, quam Graeci μονοτονίαν vocant, evitent, interdum etiam maius ius sibi sumunt. Catullus quidem complures alios habet locos, quibus eaedem vocales in vocabulorum fine positae iterantur (cf. carm. 2, 1; 3, 4 et alia.), attamen tales versus habent maiorem concentum, quam si tres voces deinceps in literam „o“ iam per se duriorem finiuntur; neque ex eiusmodi versibus, ut Catullus quoque l. l. „arido modo pumice“ scribere debuerit, sequitur.

3. Carm. 27, 3—4:

— „Ut lex Postumiae iubet magistrae
Ebriosa acina ebriosioris.“ —

Lingua Latina nostrum vocabulum „Weinbeere“ solet exprimere aut genere masculino „acinus, i“, aut genere neutro „acinum, i“. Forma autem „acina, ae“, quam Catullus l. l. genere feminino praebet, apud eum solum reperitur atque etiam minus quam genus femininum nominis „pumex“ carm. 1, 2 exemplis ex aliis scriptoribus Romanis petitis comprobari potest. In disputatione de genere nominis „pumex“ carm. 1, 2 nobis auctor erat Servius, qui nos in quaestione proposita erudivit. Hoc loco Gellium auctorem sequimur, ex quo Catullum revera nomine „acina“ usum esse genere feminino colligere licet. Haec enim sunt eius verba:

„Catullus quoque elegantissimus poetarum in hisce uersibus:

---

[12]) Reisig. Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft; herausgegeben von Dr. F. Haase. Leipzig. 1839. pag. 146. §. 99, 1.

Ministér uetuli puer Falerni
Inger mí calices amariores,
Ut lex Póstumiae iubet magistrae
Ebriósa acina ebriosioris,

cum dicere ‚ebrioso' posset et, quod erat usitatius, ‚acinum' in neutro genere appellare, amans tamen hiatus illius Homerici suauitatem, ‚ebriosam' dixit propter insequentis a literae concentum. Qui ‚ebrios' autem Catullum dixisse putant aut ‚ebriosos', nam id quoque temere scriptum inuenitur, in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt." [13])

Gellius igitur diserte atque plane Catullum l. l. revera nomen „acina" genere feminino exhibere dicit. Quapropter plurimi Catulli editores genus femininum huius nominis, quamquam apud alios scriptores in usu non versatur, a poeta nostro usurpatum esse putant versumque quartum legunt:

— „Ebriosa acina ebriosioris." —

Antonius Parthenius fol. pag. 71 dicit: „hic versus corrupte, ac perquam vitiose legitur in omnibus fere codicibus: sed elegantissima A. Gellij enarratione emendetur in hanc formulam: ut ebriosa acina genere foeminino casu ablatiuo legatur, quamquam alias acinum neutro genere profertur." Simili modo etiam Palladius Fuscus fol. pag. 71 „acina" genere feminino a Catullo positum esse putat utens ipsis fere verbis, quae apud Gellium sunt scripta, ut defendat lectionem suam. Iosephus Scaliger quoque fol. pag. 73 Gellium appellans auctorem „ebriosa acina" legit.

Achilles Statius autem fol. pag. 72 contra illos viros doctos Gellio nisus impugnans hanc lectionem ponit „ebriosa acino": „In manuscriptis, Ebriosae acino. Legendum omnino de Gellij sententia, Ebriosa acino." Achillem Statium sequitur Muretus. [14]) Hi autem duo viri docti aut aliter legerunt

---

[13]) Martin. Hertzius, edit. Gell. Vol. I. pag. 210 211. Lipsiae. 1861.
[14]) Antonius Muretus, edit. Cat. pag. 35.

Gellii locum, quam ob rem statim accuratius critica grammaticaque ratione eum interpretari debemus, aut Gellium non recte intellexerunt. Certe autem Iosephus Scaligér fol. pag. 73 recte dicit: „Mirum, quum Gellius monuerit, ebriosa acina legendum esse, neminem eorum, qui hunc poetam enarrarint, id animaduertisse: sed omnes legere, Ebriosa acino ebriosioris. Quod quid sit, nescio.“

Non consentientes cum lectione, quam Hertzius exhibet, locum Gellii citatum Hauptius eumque sequens Schwabius tradunt, quamquam etiam hi viri Catullum l. l. „ebriosa acina ebriosioris“ scripsisse censent.[15])

Hauptius igitur l. l. pag. 4 et Schwabius l. l. pag. 31 locum Gellii citatum ita legunt, ut pro „ebriosa“ in verbis Catulli „ebria“, et in verbis Gellii pro „ebrioso“ — „ebrio“; „ebriosam“ — „ebriam“; „ebrios“ — „ebriosa“; „ebriosos“ — „ebrioso“ scribant.

Primum igitur sane lectio „ebrios“ et „ebriosos“, ut Hertzius locum Gellii citatum tradit, dubitationem nobis iniicit, nam illa verba nullo modo componere atque interpretari possumus, quam ob rem in Mss. Gellii hoc loco ut apud Catullum l. l. depravationem esse necesse est. Itaque sine dubio placet emendatio „ebrioso“ pro „ebriosos“, quam Hauptius et Schwabius l. l. proponunt; „ebrios“ autem non est corrigendum in „ebriosa“ sed fortasse in „ebrio“, nam hoc modo „ebrio“ et „ebrioso“ genere neutro aut masculino ad nomen substantivum „acino“ trahere possumus. Si porro Hauptius et Schwabius „ebrio“ pro „ebrioso“; „ebriam“ pro „ebriosam“ scribunt, certe Hauptio non alia causa est, nisi ut lectionem „ebria“ in Catulli textum receptam Gellio auctore sustineat; Schwabius quidem in textu habet „ebriosa“.[16])

Quod ad causam a Gellio prolatam attinet, cur Catullus

[15]) Hauptius, Ind. lect. aest. Berolini, 1857. pag. 3–6; et Schwabius, edit. Cat. pag 31.

[16]) Ellis. edit. Cat. pag. 41 et pag. 318–322; Schwabius, edit. Cat. l. l.

„ebriosa acina“ scripserit, Hauptius (ut etiam hanc rem breviter attingam) l. l. dicit, non esse in verbis „ebriosa acina“ hiatum sed synaloephen et fortasse ea de re Gellii locum mutavit. Naekius putat, Gellium hiatum id dixisse, quod nos consueverimus elisionem nominare.[17]) Sed Hauptius l. l. pag. 5 iure suo hanc sententiam reiicit.

Hauptius pergit, Gellium, si „ebriosa acina ebriosioris“ legisset, de elisione neque cogitasse neque cogitare potuisse, sed eum „ebria acina“ legisse necesse esse, nam haec verba illum a Gellio dictum hiatum praebere. Catullum autem propter versiculi rationem fortasse „ebria acina“ scribere potuisse; sane unam vocalem esse longam, alteram brevem, sed Catullum aliquoties non solum corripere longam vocalem in hiatu ante brevem subsequentem, sed servare etiam prioris generis mensuram, ut carm. 97, 1; 114, 6. Denique autem, ut iam dixi, a nobis non dissentit, nam ita disputationem suam concludit: „itaque potuit Catullus scribere Ebria acina ebriosioris, nisi forte eiusmodi hiatum ab hendecasyllaborum elegantia alienum esse censebat. scripsisse autem eum non dubitamus Ebriosa: multo enim et simplicius et venustius idem vocabulum in comparatione iteratur, longae autem vocalis in brevi syllaba elisione Catullum haud raro usum esse constat.“

Sine dubio igitur Catullus nomine substantivo „acina“ genere feminino usus est; quomodo autem versus, quod ad nomen adiectivum „ebriosa“ attinet, sit legendus, hoc loco longius persequi non possumus.

4. Carm. 42, 4—5:

— „Et negat mihi nostra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.“ —

A nomine adiectivo „pugillaris“ derivatur nomen substantivum „pugillares, ium“ sc. libelli, codicilli. Pro hoc

[17]) Dissertationes, quibus Naekius Valerii Catonis carmina illustrat, pag. 321.

nomine, quod est generis masculini, apud Catullum et Gellium extat genus neutrum pluralis numeri „pugillaria, ium“; numero singulari „pugilar, laris“ usus est Mag. Auson. Epigr. 137 (146), 3. Ut autem Catullus revera usurpaverit genus neutrum pro genere masculino, ex verbis Charisii sequitur, quae profert Hauptius [18]) et Schwabius. [19]) Locum igitur Charisii Schwabius Hauptium sequens l. l. pag. 24—25 ita legit: „‚hos pugillares‘ et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valerium, quia pugillus est qui plures tabellas continet in seriem sutas. at tamen ‚haec pugillaria‘ saepius neutraliter dicit idem Catullus in hendecasyllabis. item Laberius in piscatore singulariter ‚hoc pugillar‘ dicit.“ Nonnulli codices legunt pro „sicut“ „sicut ait“ et duas syllabas „ium“ vocis „Valerium“ amiserunt. [20])

Illis Charisii verbis commotus de hac re moneo. Catullus semel tantum et quidem carm. 42, 4—5 usus est nomine „pugillaria“. Si igitur Charisius Catullum saepius in hendecasyllabis dixisse „pugillaria“ tradit, nobis aut iterum de carminibus amissis est cogitandum, aut error subest atque incuria apud Charisium. Hactenus ad Hauptii sententiam l. l. pag. 4 accedo. Si autem iam antea Catulli mentionem factam esse putat atque pergit: „quare quod antea legitur Asinius in Valerium, id ita interpretamur ut Asinium aliquid de Valerio Catullo scripsisse dicamus“, contra eum Bernhardio assentiar, qui dicit: „Haupt (prooem. aest. Berol. 1855. p. 5.) hatte sogar unter Beistimmung anderer gemuthmaszt dasz schon ein Mann wie Asinius Pollio die Form dieses Dichters besprach; allein in den Worten des Charisius pg. 75 (97) Hos pugillares et masculino genere et semper plura-

---

[18]) Ind. lect. aest. Berolini 1855, pag. 3.

[19]) Quaest. Cat. lib. I. Gissae 1862, pag 24—25; et Edit. Cat. pag. 48. — Cfr. etiam quod Osannus dicit: Comment. semin. philol. Gissen. spec. II. 15 a. 1856.

[20]) Edit. Charis. institut. grammat. I. 75. P. 97, 10. ed. Keilius.

liter dicas, sicut Asinius in Valerium, wo Catullum nicht fehlen durfte, das letzte Wort aber verstümmelt ist und auch im weiteren, attamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit idem Catullus, nach idem etwas ausgefallen sein musz, darf man nur eine Rede Pollios erkennen, worin jenes Wort häufig vorkam." [21])

5. Carm. 68[b], 90 et 101, 4:

— „Troia virum et virtutum omnium acerba cinis", —

et

— „Et mutam nequicquam alloquerer cinerem", —

Usitatum genus nominis substantivi „cinis" est masculinum et raro genus femininum in usu versatur.[22]) Catullus autem duobus locis citatis pro genere masculino genus femininum scripsit; semel quidem etiam genus masculinum apud eum reperimus carm. 68[b], 98:

— „Nec prope cognatos compositum cineres", —

Itaque ex hoc, quod Catullus nomine „cinis" tribus tantum illis locis ac quidem bis genere feminino, semel genere masculino ponit, eum illud genus praeferre colligo. Nomen autem „cinis" et genere masculino et genere feminino in usu esse iam indicat Antonius Parthenius, qui fol. pag. 318 dicit: „cinis autem apud antiquos et masculino et foeminino genere prolatus fuit, quod diligenter animaduertit Prisc. Cf. Achilles Statius, qui usum feminini generis apud Lucretium probat fol. pag. 325.

Locos, quibus usitatum genus masculinum nobis occurrit, hos affero e Tibulli et Propertii carminibus: Tibull. 2, 6, 34; Propert. 3, 7, 37; 4, 11, 37; 4, 11, 74; 4, 11, 92.

6. Carm. 4, 1—2:

— „Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus", —

---

[21]) Bernhardy, Grundr. d. röm. Litt. 4. Bearb. 1865, pag. 552, Anm. 441.

[22]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. I., pag. 684.

v. 10—11:

— „Ubi iste post phaselus antea fuit
Comata silva:“ —

v. 14—15:

— „Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait phaselus:“ —

Nomen substantivum „phaselus“ et genere masculino et genere feminino veteres scriptores proferunt, ut iam ex hoc Catulli carmine sequitur, in quo utrumque genus praebet.[23]) Sine dubio autem notandum mihi esse videtur, eum eodem nomine primum genere masculino, deinde v. 14—15 genere feminino in eodem carmine uti. Attamen similem loquendi licentiam amare videtur, nam idem vidimus carm. 68[b], 90 et v. 98 in usu nominis „cinis“. Utrum autem genus masculinum an genus femininum apud scriptores Romanos sit usitatius, diiudicare non possum, nam auctores certi mihi desunt. Antonius Parthenius fol. pag. 14 partes eorum sequitur, qui genus masculinum usitatius esse dicunt: „melius masculino genere quam foeminino.“ Palladius Fuscus fol. pag. 15 dicit: „phasellus antiquis erat genus nauigij quod in utroque genere inuenitur, frequentius tamen in masculino“; et Muretus fol. pag. 17: „dicitur et feminineo genere“; auctorem appellat Ovidium.

Caput II.

De declinatione substantivi, adiectivi pronominis, verbi.

1. Hoc capite de declinatione substantivi, adiectivi, pronominis, verbi disserens de iis tantum locis disputabo,

[23]) Neue, Frmlhr d. lat. Spr. I., pag. 679.

quibus poeta noster talibus formis usus est, quales aut raro, aut certe haud crebro apud scriptores Romanos reperiuntur, aut quas Catullus praeter ceteros amare videtur. Numerus autem talium formarum non est permagnus atque plurimae in archaismos, qui vocantur, referendae sunt. Itaque hoc loco nonnullas declinationis et coniugationis formas proponam, quae quidem apud alios scriptores non sunt inusitatae, sed apud Catullum persaepe magnoque numero extant.

2. Ut a substantivi declinatione ordiar, poeta carm. 64, 290—291:

— „Non sine nutanti platano lentaque sorore
Flammati Phaethontis et aeria cupressu.“ —

ablativo „cupressu“ nobis formam praebet quartae declinationis, quamquam vocabulum „cupressus“ nomen est secundae „cupressus, i“. Satis autem est notum, nonnulla nomina substantiva, quae arbores significant solentque sequi secundam declinationem, formas genitivi et ablativi singularis atque nominativi et accusativi pluralis a quarta mutuari, quorum in numero sunt praeter „cupressus“ etiam „ficus, laurus, pinus“. Hae formae quartae declinationis nonnunquam iam apud scriptores quos dicunt classicos reperimus, (cf. Cic. de Or. 2, 69, 278 „ficu“), sed apud scriptores aetatis posterioris demum saepius in usu esse coeperunt.[1])

Iam transeo ad genitivos numeri pluralis primae et secundae declinationis, qui ex „arum“ vel „orum“ contracti exeunt in „um“. Quod ad primam declinationem attinet, bis tantum eiusmodi genitivos apud Catullum legimus, carm. 64, 355:

— „Troiugenum infesto prosternens corpora ferro“ —

et carm. 68[b], 138:

— „Saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,“ —

Hic genitivus in „um“ pro „arum“ exiens etiam apud scriptores solutae orationis sed raro est in usu, ut plerum-

[1]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. I., pag. 530—536.

que „amphorum, drachmum“; Caes. b. c. 3, 81 „Metropolitum“; Cic. leg. agr. 2, 19 „Phaselitum“. Poetae autem hunc genitivum saepe scribunt in patronymicis in „des“ „Dardanidum“; praecipue in compositis in „gena, cola“ exeuntibus „terrigenum, coelicolum“, et in nonnullis nominibus gentilibus, ut „Lapithum“ apud Vergilium Aen. 7, 305:

— „Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit;“ —[2])

Maior est numerus apud Catullum genitivorum in „um“ pro „orum“ terminantium[3]), cuius haec exempla compono: carm. 63, 21:

— „Ubi cymbalum sonat vox,“ —

„cymbalum“ pro „cymbalorum“ ut „virum“ pro „virorum“ carm. 64, 192:

— „Quare facta virum mulctantes vindice poena,“ —

et carm. 68[b], 90:

— „Troia virum et virtutum omnium acerba cinis,“ —

Forma simplex „virum“ pro „virorum“ proprie apud poetas in usu versatur, qui etiam in nominibus gentilibus et vocabulis Graecis pro „orum“ genitivum in „um“ exeuntem adhibent, ut saepissime Vergilius. Formam „virorum“ iuxta „virum“ apud Catullum exemplis comprobare non possum.[4])

Imprimis Catullus genitivum in „um“ pro „orum“ exeuntem amare videtur in „deus“ et quod saepissime pro eo ponitur in „divus“.[5]) „Deum“ pro „deorum“, quod exhibet carm. 64, 406, legimus carm. 63, 68:

— „Ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar?“ —

carm. 64, 23:

— „Heroes, salvete, deum genus“ —

---

[2]) Heyne, edit. min. Verg., pag. 129. — Krüger, lat. Gram., pag. 183, §. 179, 2 et Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. I., pag. 17—21.

[3]) Neue, Frmlhr. d lat. Spr. I., pag. 102—119.

[4]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. I., pag. 110—111.

[5]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. I., pag 108—110.

carm. 66, 63:

— „Uvidulum a fluctu cedentem ad templa deum me" — (codd. „decumme").

Pro „divorum" scripsit „divum" carm. 64, 27:

— „Ipse suos divum genitor concessit amores." —

carm. 64, 134:

— „Siccine discedens neglecto numine divum" —

carm. 64, 298:

— „Inde pater divum sancta cum coniuge natisque" —

carm. 64, 387:

— „Saepe pater divum templo in fulgente revisens," —

carm. 64, 393:

— „Acciperent laeti divum fumantibus aris." —

carm. 66, 69:

— „Sed quanquam me nocte premunt vestigia divum," —

carm. 68[b], 118:

— „Qui divum domitum ferre iugum docuit:" —

Hic v. in codd. dubius est, nam alii aliter legunt.

carm. 76, 4:

— „Divum ad fallendos numine abusum homines," —

Catullum in ipsis carminibus 63—68[b] „deum" et „divum" uti pro „deorum" et „divorum" certe est notandum. Occasione mihi oblata facere non possum, quin hoc loco formas a Catullo a nominibus substantivis „deus" et „dea" singulari et plurali numero usurpatas componam atque demonstrem, eum saepissime „divus" et „diva" pro „deus" et „dea" scribere.

„Deus" et „dea" Catullus exhibet singulari numero: nom. „deus" carm. 40, 3; 61, 46; 66, 31;

dat. „deo" carm. 51, 1; 61, 64; 69; 74;

nom. „dea" carm. 50, 21; 63, 43; 68, 17; gen. „deae" carm. 63, 3; 20; voc. „dea" carm. 34, 17; 63, 91.

„Deus" et „dea" scripsit plurali numero: gen. „deorum" carm. 64, 406; „deum" carm. 63, 68; 64, 23; 66, 63; acc. „deos" carm. 13, 13;

nom „deae“ carm. 28, 14; 61, 23; gen. „dearum“ carm. 66, 9; voc. „deae“ carm. 64, 201; 68[b], 41.

De nominativo, vocativo, dativo et ablativo pluralis vocis „deus“ videatur, quod Heussner l. l. pag. 10 bene explicat. Recte enim vir doctus annotat, difficile esse diiudicandum, utrum Catullus „di“ an „dii“ an „dei“, et utrum „dis“ an „diis“ an „deis“ scripserit. Codices praebent „dii“ carm. 13, 2; 14, 6; 12; 28, 14; 30, 11; 53, 5; 76, 17; 109, 3; „dei“ carm. 76, 26, „deis“ carm. 76, 12; „diis“ carm. 4, 22. Certe formae „di“ et „dei“ usque ad Augustum in usu erant; forma „dii“ non ante Catullum scribebatur.[6])

Iuxta has formas vocabulorum „deus“ et „dea“ Catullus has habet a „divus“ et „diva“ derivatas: plur. nom. „divi“ carm. 66, 18; 68[b], 153; gen. „divum“ carm. 64, 27; 134; 298; 387; 393; 66, 69; 68[b], 118 (?); 76, 4; dat. „divis“ carm. 36, 10; 64, 103; 268; 66, 33; 68[b], 141; acc. „divos“ carm. 51, 2; 64, 404; 90, 5; abl. „divis“ carm. 62, 30; 64, 190; 68[b], 115; sing. nom. „diva“ carm. 64, 8; 66, 64; 68[b], 70; gen. „divae“ carm. 63, 25; 64, 47; 212; acc. „divam“ carm. 64, 373; 66, 89.

Iam, ut ad propositum revertar, uberius verba mihi facienda sunt de usu Graecorum casuum, quos apud Catullum ac quidem in iis ipsis carminibus, quae nos aperte vocant ad auctores Graecos, reperimus.

Sed Heussner l. l. pag. 13—16 singula persequens hanc rem iam bene tractavit, quam ob rem in universum haec pauca exponam.

Primum nonnullas voces apud Catullum reperimus, quae Graeca vocabulorum terminatione abiecta formam Latinam acceperunt.

Praeter haec Graeca vocabula in formam Latinam redacta apud Catullum complures proprii Graecae declinationis casus extant.

Praecipue utitur nominibus Graecis primae declinatio-

[6]) Neue, Forml. d. lat. Spr I. pag 99—102

nis in „e" exeuntibus, et uno vocabulo, quod nominativo singularis numeri terminatur in „es" „Bootes", cuius forma accusativi primae aut, si — „em" codicum retinere volumus, tertiae declinationis extat carm. 66, 67 „Booten" („Bootem").

Graeci casus secundae declinationis sunt pauci; maior est numerus Graecorum casuum tertiae declinationis. Ut autem vocabulum „pelage" vel „pelagi" interpreter, locus mihi uberius tractandus est, quem legimus apud Catullum carm. 63, 16:

— „Rapidum salum tulistis truculentaque pelage" —

„Pelage" coniecit Hauptius, et si cum Rossbachio eum sequente ita scribimus, forma „pelage" est accusativus Graecus pluralis numeri generis neutrius „πελάγη". Verba „truculentaque pelage" tum posita sunt pro singulari numero, quae loquendi ratio apud Catullum omnino non est inusitata. Hac lectione servata vocabulum „pelage" est vertendum, ut nos dicimus: „Gewässer". Etiam apud Lucretium 6, 619 reperimus formam „pelage".[7])

Si autem scribimus „pelagi", quod quidem habent omnes libri atque Lachmannus retinuit[8]), nomen adiectivum „truculenta" vim habet nominis substantivi „Schrecknisse des Meeres", aut ut Heysius locum vertit: „Des empörten Meeres Aufruhr, die beängstigende Gefahr".[9])

Hic usus, ex quo nomen adiectivum plurali numero generis neutrius ponitur vimque nominis substantivi accipit, haud rarus est apud Catullum. Forma autem „pelagi", si posteriorem interpretandi modum sequimur, nihil aliud est, nisi genitivus singularis numeri a nominativo „pelagus". Iosephus Scaliger fol. pag. 215 de utraque vocis forma mentionem facit, et pro „pelagi" Horatium et Propertium, pro „pelage" Lucretium l. l. auctores proferens in fine annota-

7) Schwabius ad h. l.

8) Edit. Cat. pag. 42.

9) Th. Heyse, Catulls Buch der Lieder in deutscher Nachbildung. Berlin. 1855. pag. 141.

tionis suae dicit: „Utrum melius nescio, utrumque mihi sane probatur.“ Genitivum eiusdem vocabuli in „i“ exeuntem legimus carm. 63, 88 (codd. „pelago“) 64, 127; 185.

3. Iam ad adiectivi declinationem transiens breviter de vocabulo „unus“ disseram, cuius nonnullas inusitatas formas apud Catullum reperimus. Extant enim apud eum formae tres, quae propter rariorem usum sunt notandae: gen. sing. „uni“ pro „unius“; voc. sing. „une“ et dat. plur. „unis“.

Primum igitur legimus apud Catullum pro usitato genitivo in „ius“ finito „unius“ carm. 17, 17 „uni“:

— „Ludere hanc sinit ut lubet, nec pili facit uni,“ —

Haec genitivi forma in voce „uter“ nullo loco, in vocabulis „unus, solus, ullus, neuter“ apud antiquiores tantum scriptores Romanos reperitur.[10]) Catullus hac forma semel tantum ac quidem l. l. usus est, nam carm. 45, 14 „uni“ est dativus.

Vocativum „une“ raro in usu versantem Catullus scripsit carm. 37, 17:

— „Tu praeter omnes une de capillatis,“ —

Hanc formam etiam apud Plautum frgm.; Priscianum pag. 673 P. et Augustinum conf. 1, 7 reperimus. Locum Prisciani Schwabius adscribit[11]): „Priscianus bis citauit V. 77, 673 P. 188, 21 H. ‚unus‘ quia de uocatiuo quidam dubitant, Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc usum Catullum et Plautum. Catullus ‚Tu praeter omnes une de capillatis Celtiberiosae Celtiberiae fili‘ et VII. 22, 741 P. 305, 11 H. Catullus autem ‚Tu praeter-fili‘.[12])

Quod denique ad dativum pluralis „unis“ attinet carm. 61, 182:

— „Vos unis senibus bonae“ —

„unus“ quidem in pluralibus tantum et significans nostrum:

---

[10]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. II. pag. 183 sq.

[11]) Edit. Cat. pag. 44.

[12]) Antonius Muretus, fol. pag. 101.

„allein; ein und derselbe" plurali numero reperitur.[13]) Sed hic sensus vocabulo „unis" l. l. non inesse videtur; poeta potius laudans praedicat, feminas uni tantum viro nupsisse. Sane non dico, sententiam „allein, ein und derselbe" vocabulo „unis" supponi omnino non posse.[14])

4. In disputatione de pronominis declinatione mihi monendum est de duabus formis, quae saepissime apud Catullum in usu versantur, accusativum autem dico geminatum pronominis personalis „sese" pro „se" et dativum eiusdem pronominis „mi" pro „mihi", pro quo poeta semel „mei" scripsit carm. 77, 3.

Pro „sese" Catullus plerumque utitur simplici accusativo „se"; formam „sese" reperimus carm. 3, 8; 63, 85; 64, 244; 258; 385; 68ᵇ, 88; 110, 8.[15])

Contra „mi" pro „mihi" saepissime apud Catullum extat. Primum locos enumerabo, quibus „mihi" legimus, deinde carmina addam, in quibus „mi" pro „mihi" reperimus.

„Mihi" igitur poeta scripsit carm. 2, 11; 3, 15; 9, 5; 10, 25; 12, 6; 17, 7; 21, 7; 35, 11; 44, 8; 20; 51, 6; 55, 32; 63, 65–67; 68, 20; 68ᵇ, 77; 92; 143; 70, 2; 73, 5; 76, 20; 21; 77, 1; 86, 1; 91, 1; 95, 9; 101, 5; 6; 103, 1; 104, 2; 109, 1; 110, 3; 116, 5. Pro „mihi" carm. 44, 20 ratio metrica poscit „mi".

„Mi" pro „mihi" sexiesdecies apud poetam nostrum extat carm. 5, 7; 10, 21; 14, 10; 21, 11; 27, 2; 30, 8; 31, 5; 37, 11; 51, 1; 67, 43; 72, 6; 76, 26; 83, 1; 92, 1; 99, 13; 107, 4. Ubi his locis codices „mihi" exhibent, „mi" ex „mihi" corrigendum est.[16])

Hoc loco operae pretium erit disquirere, utrum Catullus carm. 51, 5—7 „mi" pro „mihi" scripserit, an locum

[13]) Schultz. Lat. Sprachl. pag. 86. §. 76 et pag. 90. §. 79, 3.

[14]) Rossbachius, edit. Cat. pag. XII. ad h. l.

[15]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. II. pag. 130.

[16]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. II. pag. 127–128.

aliter explicare possimus. Difficilis autem fit interpretatio, quum aperte post stropham tertiam lacuna sit, nam strophae versus quartus desideratur:

— „Dulce ridentem, misero quod omnis
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
. . . .“

Si lectio versuum, quos adscripsi, vera est, res non est difficilis, nam tum in verbis „est super“ habemus tmesin, quam etiam alibi apud Catullum reperimus, et ita quidem, ut praepositio „super“ posita sit post verbum „est“. Hoc modo „mi“ nihil aliud est, nisi simplex dativus pro „mihi“, quam interpretationem etiam facere videntur Antonius Parthenius fol. pag. 125; Palladius Fuscus fol. pag. 125: „Nihil mihi superest“.

Aliter sentit Fröhnerus[17]), qui „mi“ pronomen esse negat: „Dass mi pronomen sei, nachdem unmittelbar mihi vorausging, ist unglaublich; auch braucht Catull die contrahierte form fast nur im vertrautesten conversationston (z. b. 5, 7. 13, 1. 14, 10. u. s. w.).“ Coniecturam igitur faciens ita legit:

— „. . . . . nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi-
rabile dictu.“ —

Primum falso affert carm. 13, 1, nam, si sequimur Rossbachium, „mi“ l. l. non est dativus „mi“ pro „mihi“ sed vocativus singularis numeri pronominis possessivi „meus“.

Vocis „mirabile“ distractionem, ut tres syllabae in versum sequentem transeant, probat Fröhnerus carmine 11, 11, quo loco eam sane reperimus. Attamen periculosum mihi esse videtur, eum uno loco nisum uti hac distractione, quae in universum raro apud poetas extat.

Quod ad causas attinet prolatas, cur „mi“ pronomen esse non posse dicat, prima non est tam gravis, ut „mi“

---

[17]) Philologus 14. pag. 585.

pro „mihi“ positum esse non putemus, nam simili modo sequuntur carm. 99, 11—13 „me“ et „mi“; carm. 107, 3—4 „nobis“ et „mi“.

Altera annotatio: „auch braucht Catull die contrahierte form fast nur im vertrautesten conversationston“ est quidem in universum vera. Si res semper apud Catullum ita se haberet, „mi“ pronomen non esse dicere possemus, nam nemo in hoc carmine familiarem sermonem cotidianum, ut ita dicam, quaeret atque reperiet. Fröhnerus autem l. l. ipse dicit: „fast nur“, ergo non semper, ut ne haec quidem causa sufficiat, cur „mi“ pronomen non esse dicamus. Sane vocabulo „dictu“ aptum facit transitum ad „lingua sed torpet“ et enunciatio congruit cum loco Sapphus:

— „*ὡς γὰρ εἴδοισ᾽, ἐκ βροχίοιο φώνας*
οὐδὲν ἔτ᾽ ἴκει.“ —[18])

Ego quidem locum ita interpretor, ut „mi“ censeam dativum esse pro „mihi“ pendentem ex „est super“ pro „superest“.

5. Denique ad verbi declinationem pervenimus, de qua disserens pauca verba faciam de formis per syncopen e longioribus in breviores contractis, quas Catullus amare videtur atque persaepe scribit. Simul eum haud raro pleniorem formam iuxta contractam ponere non est neglegendum. Sane Heussner etiam de hac re l. l. pag. 21 sq. disputavit, sed rem non plene perfecit, quapropter quae mihi notanda esse videbantur accuratius hoc loco annotavi.

Permulta apud Catullum reperimus exempla eius syncopes, ut verba primae coniugationis perfecto et ab hoc temporibus derivatis in „avi“ literam „v“ sequente „s“; in „ave“ literam „v“ sequente „r“ elidant duasque vocales „a—i“ et „a—e“ in unam longam vocalem „ā“ contrahant. Hae formae apud Catullum extant: carm. 10, 15 „comparasti“; carm. 10, 32 „pararim“; carm. 13, 12 „donarunt“; carm. 16, 3 „putastis“; carm. 25, 6 „involasti“; carm. 53, 3

[18]) Cf. Fröhnerus l. l.

„explicasset"; carm. 63, 17 „evirastis" (codd. „euitastis"); carm. 64, 2 „nasse"; carm. 64, 97 „iactastis"; carm, 64, 120 „praeoptarit" (codd. „praeoptaret"; „portaret"; et aliter); carm. 64, 174 „religasset"; carm. 66, 41 „adiurarit" (codd. „adiuraret"); carm. 66, 57 „legarat" (codd. „legerat"; „legaret"; „ligaret"); carm. 67, 23 et 76, 3 „violasse"; carm. 67, 24 „conscelerasse"; carm. 68 b, 76 „pacificasset"; carm. 68 b, 83 „saturasset" (codd. „staurasset"); carm. 99, 12 „cessasti".

Minus saepe formae sunt in usu, quae perfecto et ab hoc temporibus derivatis tertiae et quartae coniugationis in „ivi" literam „v" sequente „s"; in „ive" literam „v" sequente „r" elidunt, ita ut „ii" in „ī" coalescant: carm. 15, 3 „cupisti"; carm. 36, 5 „desissem" (codd. fals. „dedissem"); carm. 67, 3 et 5 „servisse" (codd. carm. 67, 3 „secuisse"); carm. 74, 1 „audierat".

In compositis a verbo „ire" derivatis Catullus semper literam „v" elidit et modo „i–i" in „ī" contrahit, modo contractionem neglegit: carm. 8, 2 „perisse"; carm. 68 b, 85 „abisse" (codd. „abesse"); contra carm. 63, 3 et 87 „adiit"; carm. 63, 42 et 74 „abiit". Forma simplicis verbi bis tantum extat carm. 68 b, 86 et carm. 84, 11 „isset". (68 b, 86 cod. D „esset"; 84, 11 cod. G „esset".)

Verbum „terere" secunda persona singularis numeri perfecti activi servat pleniorem formam „trivisti", et Catullus solus semel scribit carm. 66, 30 „tristi".[19])

In verbo „sinere" semper fere antiquiores scriptores futuro exacto literam „v" elidunt atque „e" et „i" in „ī" contrahunt. Idem facit Catullus secunda persona singularis numeri eiusdem temporis carm. 66, 91 „siris" pro „siveris".

Ut perfecta in „avi" et „ivi" etiam ea, quae in „evi" et „ovi" exeunt, perfecti secundae et tertiae coniugationis literam „v" elidunt sequente litera „s" vel „r" et „e–i"

[19]) Neue, Frmlhr d. lat. Spr. II. pag. 399.

vel „e"—; „o—i" vel „o—e" in longam vocalem „e" vel „o" contrahunt. Catullus habet duo exempla prioris generis: carm. 64, 176 „requiesset" (codd. corrupt. „requisisset") et carm. 84, 7 „requierat"; posterioris generis quinque in verbo „novi" et compositis ab eo derivatis: carm. 3, 6 „norat"; carm. 22, 1 et 67, 37 „nosti"; carm. 66, 26 „cognoram"; carm. 72, 1 „nosse"; carm. 91, 3 „cognossem".

Persaepe Catullus tertia persona pluralis numeri indicativi perfecti activi formis in „ere" pro „erunt" exeuntibus utitur, quarum has repperi: carm. 4, 25 et 49, 2 „fuere" (codd. ACHI, „fuerunt"); carm. 8, 3 et 8 „fulsere"; carm. 10, 5 „incidere"; carm. 62, 8 et 9 „exiluere"; carm. 62, 28 „pepigere" iuxta „pepigerunt"; carm. 62, 29 „iunxere"; carm. 62, 42 et 44 „optavere"; carm. 62, 53 „coluere"; carm. 62, 55 „accoluere"; carm. 64, 14 „emersere"; carm. 64, 32 „advenere"; carm. 64, 148 „metuere"; carm. 64, 205 „contremuere"; carm. 64, 240 „liquere"; carm. 64, 399 „perfudere"; carm. 64, 406 „avertere"; carm. 66, 45 „propulere".

Quod denique ad formas attinet, quae secunda persona singularis numeri passivi et deponentis omnium coniugationum excepto indicativo praesentis pro „ris" in „re" terminantur, unum tantum exemplum apud Catullum mihi in promptu est: carm. 116, 3 „conarere".

In fine huius capitis obiter attingo formas carm. 66, 18 „iuerint" pro „iuverint" (codd. „iuverint"; H „viverunt"; ed. Pr. „iuerint"[20]), et carm. 2, 13 „soluit", carm. 61, 53 „soluunt"; carm. 66, 38 „dissoluo"; carm. 66, 74 „evoluam" (codd. „evolue"); carm. 95, 6 „pervoluent" (codd. „pervoluit"), in quibus posterioribus exemplis „u" pro „v" scriptum est.

Denique Catullus carm. 39, 14 „lavit" et carm. 64, 402 „poteretur" (codd. „potiretur"), pro „lavat" et „potiretur" minus usitate scripsit, ita ut nobis in his verbis „lavare" et

[20]) Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. II pag. 416.

„potiri“ formas tertiae coniugationis praebeat quamquam „lavare“ est verbum primae et „potiri“ verbum quartae coniugationis.[21])

Caput III.

De nonnullorum verborum derivatione, imprimis de deminutivis.

1. Quod ad verborum derivationem attinet, hac in re Catullus in universum ab usu scriptorum aureae vel classicae quae dicitur aetatis non valde discedit. Attamen si deminutivorum usum respicimus, non facile scriptor, qui cum poeta nostro comparetur, reperiri possit. Priusquam autem, quae de deminutivis ipsis enotavi atque composui, in medium profero, breviter de nonnullis verbi formis et de notandis compositis disseram.

2. Verba inchoativa haud crebro apud Catullum extant: carm. 46, 3 „silescere“; carm. 46, 8 „vigescere“; carm. 68[b], 55 „tabescere“; quibus statim adiicio verba frequentativa et intensiva, quorum numerus est multo maior. Haec exempla composui: carm. 8, 4 „ventitare“; carm. 33, 8 „venditare“; carm. 55, 32 „quaeritare“; carm. 56, 6 „trusare“; carm. 61, 219 „noscitare“; carm. 64, 9 et v. 251 „volitare“; carm. 64, 195 „adventare“; carm. 67, 2 „auctare“; carm. 68, 13 „mersare“; carm. 68[b], 133 „circumcursare“. Etiam pauca verba deminutiva apud Catullum reperimus, de quibus infra disseram.

3. Quod praecipue Catulli orationis est proprium, modus est, quo vocabula composita fingit atque ponit. Si

[21]) Cf. de his omnibus rebus, quas de coniugationis formis protuli: Neue, Frmlhr. d. lat. Spr. II. §. 47—70.

antiquiorum formarum usum (i. e. archaismos) respicimus, quarum et in declinatione substantivi, adiectivi, pronominis, verbi et in particulis nonnullis haud parvus numerus reperitur, non est neglegendum, Catullum eas non consilio quaeritare et appetere; deinde eas in certis tantum carminibus maximeque in iis, quae nos ad scriptores Graecos revocant, plus minusve inveniri. Idem dici potest de compositis, quae apud Catullum in usu sunt, nam etiam horum numerus in universum non est permagnus et pleraque scripsit in maioribus carminibus aut in iis, in quibus Graecos imitatus est. Quamquam hoc loco ea composita omitto, quae etiam apud alios scriptores in usu versantur, atque ea tantum respicio, quae exemplis ex aliis scriptoribus sumptis aut omnino non aut raro comprobari possunt, nihilominus Catullum non parvum numerum compositorum habere reperiemus, quae memoratu digna sunt.

Primum locus notandus mihi esse videtur, quo duo substantiva ita inter se coniuncta sunt, ut alterum alterius sit attributio, qua re fit, ut tamquam unum oriatur vocabulum compositum. Locus, quem dico, est carm. 66, 51—52: — „Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores Lugebant,“ —

Sine dubio „comae sorores“, quae verba fortasse vertere possumus: „Schwesterhaare“, quasi compositum dici potest, et pro „comae sorores“ adiectivum cum substantivo suo coniunctum ponere usitatius erat.

Ut iam ad composita ipsa enumeranda perveniam, haec exhibeo atque propono: carm. 63, 72 „silvicultrix“, quod vocabulum apud Catullum solum reperitur et ab eo ipso fictum esse videtur. Alia composita, quae in „trix“ exeunt, apud poetam in usu non sunt, contra complura in „tor“ et unum in „or“ apud eum legimus: carm. 64, 41 „frondator“ (haec vox etiam apud Vergilium et Plautum extat); carm. 64, 27 et v. 117 „genitor“; carm. 64, 204 „rector“ et carm. 22, 10 „fossor“.

Idem, quod de „silvicultrix“ dixi, pertinet ad „nemorivagus“ carm. 63, 72.

His addo composita apud Catullum solum in usu versantia: carm. 46, 7 „praetrepidare“; carm. 63, 26 „tripudium“ (de Bacchi choro); carm. 63, 51 „herifuga“; hoc loco iterum duo substantiva sunt iuncta, quorum „herifuga“ est adiectivum attributivum ad „famuli“:

— „Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugae
Famuli solent,“ —

carm. 64, 406 „iustificus“; carm. 66, 53 et carm. 64, 300 „unigena“ (significatione „frater“ et „soror“); carm. 68^b, 112 „falsiparens“.

„Septemgeminus“ carm. 11, 7 etiam apud Vergilium et Statium cum „Roma“ coniunctum („siebenhügelig“) reperitur. „Caprimulgus“ carm. 22, 10 (h. l. „pastor“) apud Plinium n. h. 10, 40 (56), 115 est avis (Caprimulgus europaeus L.), de quo animali iam veteres ut Aristoteles multa fabulati sunt.

Imprimis autem Catullus persaepe compositis utitur, quae exeunt in „fer, ger, pes, sonus et volus“, quorum plurima exempla apud eum tantum ac quidem plerumque in maioribus carminibus reperiuntur.

Exempla in „fer“ exeuntia, quae apud Catullum tantum extant, sunt haec: carm. 4, 13 „buxifer“; carm. 7, 4 „laserpicifer“; etiam apud alios scriptores in usu sunt: carm. 11, 6 „sagittifer“; carm. 29, 19 „aurifer“; carm. 62, 7 „noctifer“; carm. 64, 394 „letifer“.

Duo composita in „ger“ desinentia apud Catullum repperi: carm. 63, 23 „ederiger“ et carm. 64, 106 „coniger“.

Maior est numerus compositorum, quae in „pes“ terminantur, quorum „pinnipes“ carm. 55, 25 et „plumipes“ carm. 55, 27 apud Catullum solum extant. „Tardipes“ carm. 36, 7 (hoc loco cognomen Vulcani cum voce „deus“ coniunctum; alibi sine „deus“); „sonipes“ carm. 63, 41 etiam apud alios scriptores in usu versantur.

De composito „properipes" carm. 63, 34 uberius mihi disserendum est. „Properipedem" legunt l. l. etiam Meleager et Vossius, et Silligius hanc lectionem comprobat.[1]) Sane „properipes" est compositum inusitatum, quod iam Doeringius annotat monens, Catullum in hoc ipso carmine tales voces compositas amare. Alii hunc locum ita scribunt:

— „Rapidae ducem sequuntur Gallae pede propero" —

sed iam Vossius[2]) recte dicit: „Cum praecedat rapidae, ineptum est addere pede propero." Haud raro quidem apud Catullum evenit, ut eandem sententiam duobus verbis dicat, sed nunquam tali modo, quo fit, si l. l. „pede propero" scribimus. Optimi Mss. exhibent „propere pede", [3]) ex quo Vossius recte fecit „properepedem" vel „properipedem" vocalem „e" in „i" mutans, qui usus satis notus est.

Composita in „sonus" desinentia apud Catullum reperimus carm. 64, 52 „fluentisonus"; carm. 64, 125 et v. 320 „clarisonus"; carm. 64, 263 „raucisonus".[4])

Notanda denique sunt duo composita in „volus" carm. 68ᵇ, 128 „multivolus" et carm. 68ᵇ, 140 „omnivolus", quo posteriore vocabulo Catullus solus utitur. De his compositis conferatur Reisigius.[5])

Hoc loco etiam moneo, Catullum in verborum usu saepissime simplex ponere pro composito imprimis „linquere" pro „relinquere", ut carm. 62, 3 „linquere"; carm. 64, 35 „linquunt"; carm. 64, 59 et v. 117 „linquens"; carm. 64, 123 „liquerit"; carm. 64, 133 „liquisti"; carm. 64, 213 „linquentem"; carm. 64, 240 „liquere"; carm. 64, 276 „linquentes"; contra carm. 63, 51 „relinquens"; carm. 63, 25 „suevit"

---

[1]) Silligius, de C. Val. Cat. carm. epistola critica. 1822, pag. 19.

[2]) Edit Cat., pag. 170.

[3]) Ellis. edit Cat., pag. 108.

[4]) Cf. Lucretius 5, 1082 (1084).

[5]) Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, herausgegeben von Dr. F. Haase, Leipzig 1839, pag. 265, §. 158.

pro „consuevit“; carm. 63, 86 „vadit“ pro „evadit“; carm. 64, 53 „tuetur“ pro „intuetur“; carm. 64, 150 „crevi“ pro „decrevi“; carm. 64, 199 „vanescere“ pro „evanescere“; carm. 66, 29 „mittens“ pro „emittens“.

3. Restat ut, quae de deminutivis mihi sunt in promptu, exponam, qua in parte dissertationis meae optimum esse puto, antea singula a Catullo vocabula adhibita enumerare et his absolutis de iis rebus disputare, quae in eorum usu apud poetam nostrum sunt notandae. Itaque deinceps componam deminutiva substantivi, adiectivi et verbi.

Deminutiva igitur substantivi sunt haec: „libellus“ carm. 1, 1; 8; 14, 12; 55, 4; „solatiolum“ carm. 2, 7; „puella“ carm. 2, 1; 11; 3, 3; 4; 7; 17; 8, 4; 7; 12; 10, 16; 27; 11, 15; 13, 4; 11; 17, 14; 15; 34, 2; 4; 35, 8; 16; 36, 2, 9; 37, 4; 11; 41, 1; 3; 5; 7; 43, 1; 55, 10; 17; 56, 5; 62, 23; 42; 44; 47; 64, 97; 379; 69, 8; 77, 7; 78, 4; 89, 3; „puellula“ carm. 57, 9; 61, 57; 178; 184; „oculus“ carm. 3, 5; 9, 9; 14, 1; 48, 1; 63, 37; 39; 48; 82, 1; 2; 4; 104, 2; 108, 5; „ocellus“ carm. 3, 18; 31, 2; 43, 2; 45, 11; 50, 10; 19; 64, 60; „palmula“ carm. 4, 4; 17; „gemellus“ carm. 4, 27; 57, 6; „labellum“ carm. 8, 18; 61, 216; 63, 74; 64, 104; 316; 80, 1; 99, 7; „scortillum“ carm. 10, 3; „Veranniolus“ carm. 12, 17; 47, 3; „sacculus“ carm. 13, 8; „versiculus“ carm. 16, 3; 6; 50, 4; „ponticulus“ carm. 17, 3; „assula“ carm. 17, 3; „salillum“ carm. 23, 19; „lapillus“ carm. 23, 21; „flosculus“ carm. 24, 1; „capillus“ carm. 25, 1; 64, 193; „auricilla“ carm. 25, 2; „auricula“ carm. 67, 44; „latusculum“ carm. 25, 10; „flagellum“ carm. 25, 11; 62, 52; „villula“ carm. 26, 1; „sarcinula“ carm. 28, 2; „tabula“ carm. 28, 6; „tabella“ carm. 32, 5; 50, 2; „lucellum“ carm. 28, 6; 8; „amiculus“ carm. 30, 2; „medullula“ carm. 25, 2; „pusillus“ carm. 37. 16; 54, 1; „catulus“ carm. 42, 9; „codicillus“ carm. 42, 11; 12; 19; 20; 24; „Septumillus“ carm. 45, 13; „lectulus“ carm. 50, 15; 57, 7; 64, 88; „femella“ carm. 55, 7;

„papilla“ carm. 55, 12; 61, 101; 64, 65; 66, 81; „pupulus“ carm. 56, 5; „pupula“ carm. 63, 56; „Rufulus“ carm. 59, 1; „ramula“ carm. 61, 22; „zonula“ carm. 61, 53; „hortulus“ carm. 61, 88; „brachiolum“ carm. 61, 177; „corolla“ carm. 63, 66; 64, 283; „munusculum“ carm. 64, 103; 68ᵇ, 145; „calathiscus“ carm. 64, 319; „lacrimula“ carm. 66, 16; „sicula“ carm. 67, 21; „tigillum“ carm. 67, 39; „epistolium“ carm. 68, 2; „capsula“ carm. 68, 36; „avunculus“ carm. 84, 5; „mentula“ carm. 29, 13; 94, 1; 105, 1; 115, 1; 8; „suaviolum“ carm. 99, 2; 14; „articulus“ carm. 99, 8; „furcilla“ carm. 105, 2.

Non tam multa sunt exempla deminutivorum adiectivi: „bellus“ carm. 3, 14; 15; 8, 16; 22, 9; 24, 7; 8; 43, 2; 6; 69, 8; 78, 3; 4; 81, 2; 106, 1; „misellus“ carm. 3, 16; 35, 14; 40, 1; 45, 21; 80, 7; „aureolus“ carm. 2, 12; 61, 163; „turgidulus“ carm. 3, 18; „integellus“ carm. 15, 4; „molliculus“ carm. 16, 4; „bimulus“ carm. 17, 13; „tenellulus“ carm. 17, 15; „imulus“ carm. 25, 2; „mollicellus“ carm. 25, 10; „vetulus“ carm. 27, 1; „albulus“ carm. 29, 8; „turpiculus“ carm. 41, 3; „lacteolus“ carm. 55, 17; „eruditulus“ carm. 57, 7; „floridulus“ carm. 61, 189; „parvulus“ carm. 61, 212; „lassulus“ carm. 63, 35; „frigidulus“ carm. 64, 131; „aridulus“ carm. 64, 316; „languidulus“ carm. 64, 331; „pallidulus“ carm. 65, 6; „uvidulus“ carm. 66, 63; „perlucidulus“ carm. 69, 4; „tantillus“ carm. 99, 6; quibus addo adverbium „belle“ carm. 12, 2.

Quod denique ad verbi deminutiva attinet, unum certo apud Catullum reperiri potest: carm. 25, 11 „conscribillare“; fortasse etiam „pipilare“ carm. 3, 10 et „ustulare“ carm. 36, 8 deminutiva dici possunt; certe iis vis deminutionis inest. De verbo „pipilo“ conferatur Burmannus.[6]) Porro scripsit „conscribillare“ Varr. ap. Non. 82, 30 sq;[7]) „ustulare“ Vitruv. et Auct. Priap. 61, 7.

[6]) Anthol. Lat. Vol. II, pag. 294 (a).
[7]) Cf. Antonius Muretus, fol. pag. 68.

His omnibus deminutivis enumeratis, quod mihi in universum de iis notandum esse videtur, in medium proferam.

Magnus deminutivorum numerus apud Catullum solum in usu est, quod tamen magis in substantivis quam in adiectivis valet. Exempla illorum sunt haec: „solatiolum, scortillum, auricilla, femella, sicula pro mentula, suaviolum, medullula“, et nomina propria: „Veranniolus, Rufulus, Septumillus“. Heussner, qui l. l. pag. 35—39 in universum de deminutivis Catullianis scripsit, falso pag. 36 „epistolium“ apud Catullum solum extare putat, nam legimus etiam apud Apul. de mag. c. 6 et 79; contra „solatiolum“ omittit (cf. infra).

Adiectivorum exempla haec enumero: „imulus, mollicellus, eruditulus, floridulus, lassulus, aridulus, uvidulus, perlucidulus“.

Alia deminutiva etiam apud scriptores, qui aut ante auream aetatem aut post illam vixerunt, sed rarius reperiuntur: „brachiolum“ Veget. veter. 1, 25, 4 sqq.; „salillum“ Plaut. Trin. 2, 4, 91 (492) (Fleckeisenius hoc loco legit: „scintillula animae); „latusculum“ Lucret. 4, 309 (335); „calathiscus“ Petron; „epistolium“ Apul. de mag. c. 6 et 79; „puellula“ Pompon. com. 67; Terent. Phorm. 1, 2, 31 (81); „capsula“ Senec. ep. 115, 2; „lacrimula“ Terent. et Cic. Planc. 31, 76; „pupulus“ Senec. ep. 12, 3; Arnob. 7 no. 8; „zonula“ Seren. ap. Non. 539, 19; Lampr. Alex. Sev. 52; — „turgidulus“ Paul. Petron. 5, 450; „integellus“ Cic. Fam. 9, 10, 3; „bimulus“ Suet. Cat. 8; „tenellulus“ Laev. ap. Prisc. pag. 903 P; „albulus“ Mart. 12, 99, 4; „turpiculus“ Varr. l. L. 7, 5, 97; Cic. de Or. 2, 61, 248; „lacteolus“ Prudent. et Auson.; „frigidulus“ Verg. Cir. 250; „languidulus“ Cic. ap. Quint. 8, 3, 66; tantillus“ Plaut. Terent. et Cels.; „pallidulus“ Hadr. ap. Spart. Hadr. 25; „molliculus“ Plaut. Cas. 2, 8, 55 (383); Plaut. Capt. 1, 2, 154 (236); Charis. pag. 183 P. (pag. 198, 19. K.).

His omnibus deminutivis exceptis reliqua etiam apud alios scriptores atque praecipue apud poetas aureae aetatis in usu sunt, quam ob rem ea enumerare necesse non est.

Iam de derivatione atque usu nonnullorum deminutivorum uberius disseram.

„Veranniolus" carm. 12, 17 est deminutivum, quam ob rem etiam „Fabullus" vocabulum deminutivum esse puto, nam non video, cur poeta utrumque virum non eodem modo alloquatur.

Ex „benulus" per contractionem fit „bellus", quod est deminutivum a „benus" i. e. „bonus".

In quaestione, num „pipilo" carm. 3, 10 sit verbum deminutivum, veteres Catulli editores inter se non consentire videntur. Antonius Parthenius et Palladius Fuscus fol. pag. 12 „pipillo" scribunt, et Parthenius „pipillo" nominat „deminutivum verbum a pipo". Fuscus autem dicit: „a pipo venit pipillo frequentatiuum." Antonius Muretus fol. pag 13, scribere vult „pipillo" ut „focillo, titillo, cantillo", sed legere mavult „pippiebat". Sine dubio autem „pipilo" est retinendum.[8])

Derivatio deminutivi „puella" saepe apud Catullum occurrentis haec est. A „puer" descendit „puerulus", quod in „puellus" contrahitur. Vox „puerulus" habet Cic. Rosc. Am. 41, 120 et Top. 4, 18. Forma feminina est „puerula" vel „puella". Puto autem „„puerula" vel puella" derivandum esse a „puera", quae forma feminini generis vocabuli „puer" reperitur apud Liv. Andr. ap. Prisc. pag. 697 P.; Varr. Sat. Men. 22, 4; Varr. ap. Non. pag. 156, 17; cf. Suet. Cal. 8. Pleitnerus „puella" a „puera"-„pura" derivandum esse putat, ita ut „pura" vel „purus" sit contractio pro „puerus" vel „puera".[9])

De nominis proprii „Ipsithilla" carm. 32, 1 derivatione atque significatione haec profero. Isaacius Vossius legit

---

[8]) Leutschius, Philologus. 10, pag. 738.

[9]) Cf. Pleitnerus. Des Q. Val. Cat. Hochzeitsges. krit. behandelt, pag. 56.

„Hispitilla", eoque auctore [10]) Iosephus Scaliger vocabulum esse deminutivum ab „Hypsithea" putat, quod Vossius nihilo probabilius esse dicit quam Turnebi „Hospitilla". Guyetus Vossio auctore „Iphitilla" ab „Iphito" scripsit, quod esset vox Graeca. Vossius autem monet, Catullum Romanas tantum appellationes usurpasse, quam ob rem „Hispitilla" retinet.

Ott. Ribbeckius vocabulum „Ipsitilla" ita interpretatur: „Was hindert denn z. B. an Ipsitilla zu denken, die c. 32 doch zärtlich genug meae deliciae, mei lepores genannt wird, und deren (im Augenblick fingirter) Name Nichts ist als ein humoristisches Deminutiv von ipsa, der übliche Ergebenheitsausdruck, wenn Gesinde und Liebhaber von ihrer Herrin sprechen, wie denn auch der Sperling 3, 6 suam ipsam, d. h. suam dominam so gut kannte, wie das Kind die Mutter". [11])

Haec interpretatio sine dubio sola est vera, qua de causa etiam Schwabius [12]) „Ipsitilla" scribit revocans ad Buechlerum, qui in editione sua Petronii pag. 74, quo loco cap. 63, §. 20 „ipsimi nostri" legit, annotat: „ipsiumus uel ipsimus et ipsuma etiam in posterioribus dominus et domina uocantur. Plautina serua in Casina IV, 2, 11 ‚ego eo quo me ipsa misit' id est domina, *αὐτή*. Catullus de passere ‚suam norat ipsam tam bene quam puella matrem', idem de deliciis suis ‚mea dulcis Ipsitilla'. In fine dicit: „non mirum deflexum a reuerentia uocabulum esse ad blanditias", — sc. ipsa.

Saepius Catullus satis non habet, a vocabulis primitivis deminutivum fingere, sed a deminutivo ipso iterum novum deminutivum ducit ut „ocellus"; „puellula"; „tenellulus" et alia. Haud raro deminutivis adiectiva attribuit, quae aperte deminutionem augeant ut carm. 1, 1 „lepidum libellum".

---

[10]) Edit. Cat. pag. 78—79.

[11]) Ott. Ribbeck, C. Val. Cat., eine literar-histor. Skizze, Kiel. 1863. pag. 59. Anm. 34 zu pag. 47.

[12]) Cf. edit. Cat, pag. 37.

Si Catullus ut carm. 3, 18 „turgiduli ocelli"; carm. 41, 3 „turpiculo naso" deminutivum adiectivi ponit attributionem ad substantivum, quaeritur, utrum adiectivum an substantivum deminuatur. Sine dubio adiectivi deminutio fit, ut Pohlius recte annotat, si carm. 41, 3 interpretans dicit: „Nam forma deminutiva vis imminuitur eius vocabuli, cui illa affixa est, non vocabuli coniuncti, igitur turpiculus nasus id est, quod subturpis nasus, non turpis, si vocem fingere liceat, nasellus." [13])

Denique usus deminutivi „ponticulus" carm. 17, 3 est notandus, quo loco poeta deminutione utitur, quamquam v. 1 „pons magnus" dixit. Iam Antonius Muretus hoc animadvertens fol. pag. 52 dicit: „Quo modo ponticulum vocat, quem antea pontem longum dixerat? an, quod parum latus esset, an, quod infirmus?" Aperte posteriore causa commotus Catullus cum ironia quadam ita scripsit; pons quidem magnus est atque longus, sed ruinam minans nihil est nisi ponticulus.

His rebus absolutis restat, ut breviter attingam, quod sit genus carminum, in quibus Catullus magno deminutivorum numero est usus, et qua de causa tam saepe ea scripserit.

Nemo permulta deminutiva Catulli carminibus dare venustatem et nativum quendam leporem negabit, sed omnes assentientur mihi dicenti, praecipue ad oblectationem esse iucundissima vocabula deminutiva, quae optime rem significent, quam tractat poeta. Quodsi materies esset grandis, offenderent, sed cum nugae, ut poeta ipsa carmina vocat, sint, aptissime quadrant atque placent; quapropter in carminibus maioribus quae fere tot versus continent, quod reliqua omnia, rarissime occurrunt. Itaque poeta deminutiva non posuit in carm. 63 nisi v. 35 et 74, quo loco facit narrationem, nusquam autem, ubi Attis aut Cybele loquun-

---

[13]) Ioseph Pohl, Lectionum Catullianarum Specimen. 1860. pag. 45.

tur. Eodem modo in carm. 62 vocabulo „puella" excepto praeter „flagellum" v. 52 deminutiva non reperimus. Atque etiam in illis carminibus, quibus gravitas aut dolor accessit, perpauca reperiuntur, cf. carm. 5; 7; 8; 70; 76; et alia. Restant igitur carmina dicacia et iocosa, in quibus magnam deminutiva vim habent. Ut exemplum afferam, exhibeo carm. 25, ubi accumulatis deminutivis formisque similiter sonantibus poeta pulcherrime Thalli cinaedi mollitiem depingit, et carm. 57 et alia. Itaque non ubique deminutiva a poeta adhibita nobis placent, et assentior Bernhardio, qui recte dicit: — „darunter bemerkt man die zahlreich in Umlauf gesetzten malerischen oder beiszenden Deminutiva, welche den Ton der Elegien und der epischen Erzählung stören, desto kräftiger aber in der Polemik wirken." [14])

Quod denique ad causas attinet, quibus commotus Catullus tam saepe deminutiva scripsit, variae enumerari possunt, prout aut blanditur, aut depingit, aut contemptim atque acerbe loquitur; odio et amore fere dicam deminutivorum usum contineri. Interdum autem deminutiva reperimus, ubi versuum numerum augent aut metrum eorum usum postulat. [15]) Quapropter persaepe, ut carmina quaedam recte interpretemur, maximi est momenti, qua causa commotus Catullus deminutivis sit usus, disquirere. Plerumque sane deminutivis subest acerba ironia.

Ut exemplum afferam, vera carm. 63, 35 cognitio omnino pendet ex recta deminutivi „lassulus" interpretatione.

Nonnulli adiectivum „lassulus" vertunt: „gar matt, sterbematt" [16]), ita ut „lassulus" auctam vel maximam significet lassitudinem, aut, ut aliter dicam, „lassulus" habeat vim vocabuli primitivi sensum augentem. Alii interpretes

---

[14]) Bernhardy, Grundr. der röm. Litt. 4. Bearb. 1865. pag. 551. Anm. 440.

[15]) cf. Palladius Fuscus fol. pag. 9; Antonius Parthenius fol. pag. 12, et pag. 116

[16]) cf. Heysius. pag. 143.

putant, „lassulus“ indicare, Gallas paulo languidiores fuisse, ita ut „lassulus“ vocabulum primitivum non augeat sed potius deminuat. Haec autem interpretatio sensui loci omnino non respondet, et altera haud dubie cum eo melius consentit. Persaepe autem, ut supra dixi, vocabulis deminutivis apud Catullum subest ironia, quapropter interpretationem sequor, quam Werthes proponit: „Uebrigens ist es nicht wahrscheinlich, dasz die Gallen dieses verkleinernde Beywort deswegen bekommen haben, weil sie nur etwas müde gewesen; welches die Meinung der Ausleger ist; sondern, vielleicht neben dem erst angeführten Grunde, dürfte der Dichter wohl auf ihre neuere Verwandlung gesehen haben; dasz er also eine weibische Mattigkeit ausdrücken wollte, welche der Arbeit einen Berg zu ersteigen bald unterliegt. Hierauf bezieht sich auch vielleicht das gleich darauf folgende: Nimio e labore; es war für ihre unmännliche Kraft zu viel.“ [17])

Carm 66, 16 deminutivum „lacrimula“ omnino habet vim, quae inest nostrae voci: „Krokodilsthränen“.

Non sine causa poeta carm. 25, 2 „u“ cum „i“ commutans pro usitato „auricula“ scripsit „auricilla“, nam acerba quaedam ironia, qua Thallum insectatur, accumulatione literae „i“ depingitur.

Etiam ut alicui contemptum afferat, Catullus deminutiva haud raro ponit, ita ut vis contemptionis, quae vocabulo primitivo iam inest, forma deminutiva augeatur; cf. carm. 6, 4; 10, 3; 24, 1; 25, 2; 55, 7; 57, 7; 59, 1.

Ad carm. 41, 3 Pohlius l. l. pag. 45 recte annotat: „Atque eodem modo turpiculum nasum per tapinosin cum ironia dictum esse contenderim, quae deinde exitu inexspectata et aperta gradatione maximum risum excitet necesse est.

Interdum poeta ratione metri coactus verba deminutiva

---

17) Werthes, Ueber den Atys des Katull. 1774. pag. 31.

posuit, de qua re Leutschius [18]) et Pohlius l. l. pag. 45 recte monent. Leutschius l. l. revocat ad carm. 2, 7, ubi Catullum „solatiolum", contra carm. 3 nullum deminutivum metri causa posuisse affirmat.

Caput IV.

De praepositionibus et coniunctionibus.

1. De praepositionibus disserens pauca verba de earum significatione atque collocatione faciam.

Quod igitur primum ad praepositionum significationem attinet, in universum Catullus a communi loquendi ratione non valde discedit, et tres tantum locos reperimus, quibus minus usitatum praepositionum praebet usum: carm. 3, 9—10 „ad"; carm. 4, 15 „ex"; carm. 63, 44 „de".

Carm. 3, 9—10 „ad":

— „Sed circumsiliens modo huc modo illuc
Ad solam dominam usque pipilabat." —

Antonius Parthenius fol. pag. 12; Palladius Fuscus fol. pag. 12; Graevius [1]) „ad" hoc loco vim praepositionis „apud" habere dicunt, quam interpretationem non veram esse puto. Sane praepositio „apud" interdum pro „ad", et posteriore aetate apud Tacitum pro „in" eandem habens vim in usu versatur. Sed hic usus apud Catullum altero exemplo non comprobatur, et praeterea praepositio „ad" l. l. simplicius interpretari possumus. Si „ad" pro „apud" positum esse censemus, utrum „ad" sit trahendum ad „pipilabat" an ad „circumsiliens" (i. e. circumsiliens apud dominam), dubium

---

[18]) Philologus. 10. pag. 743.

[1]) cf. edit. Cat. pag. 7.

est. Ego „ad“ traho ad „pipilabat“, ut „adpipilabat“ nostro vocabulo: „anpiepen“ respondeat. Si hunc interpretationis modum sequimur, praepositio „ad“ per tmesin in Graeca oratione usitatissimam seiuncta est a verbo „pipilabat“. Tmesis autem in praepositionibus haud raro apud Catullum reperitur, ut carm. 67, 14 „ad me omnes clamant“ pro „me omnes acclamant“ (acclamare aliquem iemanden laut bezeichnen, benennen; qua significatione Livius et Tacitus voce „acclamare“ utuntur.) Sed ne hoc quidem modo locum interpretari necesse est, nam si construo „pipilare ad aliquem“ = auf iemanden zupiepen, hinpiepen, ita ut locus, ad quem avis pipilat, significetur, haec constructio mihi inusitata non esse videtur. Etiam Leutschius, ut video, locum ita intellegit reiiciens interpretum sententiam „ad dominam pipilabat“ positum esse pro „apud dominam“ vel „dominae“, et recte revocat ad carm. 61, 215 sq.:

— „Dulce rideat ad patrem“ —

„der sperling behielt die herrin, wenn er piepte, er mochte hinhüpfen, wohin er wollte, immer im auge: so erst schildert die stelle plastisch.“ [2])

Carm. 4, 15 „ex“:

—: „ultima ex origine“ —

Praepositio „ex“ etiam in descriptione temporum in usu versatur, sed pro „ultima ex origine“ saepius atque melius dici puto „ultima ab origine“.

Carm. 63, 44 „de“:

— „Ita de quiete molli rapida sine rabie“ —

Praepositio „de“ hoc loco in temporis descriptione, quum interrogetur: „quo tempore?“ adhibita est, qui usus non admittitur, nisi iam pars temporis praeteriit, quo modo locus citatus sumi potest.

Praepositiones, quae adverbii vim habent, apud Catullum minus sunt usitatae, ut eiusmodi paucae huc pertineant.

---

[2]) Philologus. 10. pag. 738.

Pro „postea" et „antea" persaepe praepositiones „post" et „ante" etiam apud alios scriptores extant. Catullus fere semper „post" et „ante" pro „postea" et „antea" ponit et persaepe „postea" et „antea" iuxta „post" et „ante" adhibet. Ut nonnulla exempla afferam, carm. 4, 10

— „Ubi iste post phaselus antea fuit" —

„post" pro „postea" iuxta „antea" extat; (Achilles Statius comparat fol. pag. 16 „post phaselus" cum Graeco „*τὸ ὕστερον πλοῖον*"); eodem modo legimus „post" pro „postea" carm. 49, 3; 64, 274; 322. Loco posteriore „post" ad „aetas" est trahendum, ita ut duo vocabula tamquam in unum coalescant; cf. carm. 4, 10 „post phaselus".

Saepius reperimus „ante" pro „antea": carm. 11, 21; 29, 4; 45, 8; 17; 62, 28; 64, 188; 384; 66, 51.

Huc etiam pertinent carm. 13, 9; 62, 6; 76, 23; 116, 7 „contra" et carm. 51, 3 „adversus", pro quo usitatius est „adversum"; sed „adversus" fortasse etiam adiectivum esse potest.

Breviter dicam de praepositione „super" carm. 61, 29:

— „Nympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe," —

Primum „super" praepositio esse potest, ut ad „irrigare" obiectum sit supplendum sc. „aquam": über welche Aganippe den Quell leitet. Deinde „super" adverbii vim habere potest, ut „irrigare" sit verbum transitivum et significet: bewässern. Hanc posteriorem interpretationem Heysius sequi videtur, nam locum vertit: „Wo hernieder im Quellensturz Kühlung träuft Aganippe".

Per tmesin „super" a verbo „irrigat" seiunctum esse non potest, nam verbum „superirrigare" non extat. Simili modo „super" carm. 64, 286 interpretor, quamquam l. l. „super" etiam per tmesin ad „impendentes" potest trahi.

Non solum in usu praepositionum Catullus interdum a communi loquendi genere discedit, sed etiam in earum collocatione sibi licentiam quandam permittit, quam apud

alios scriptores raro reperimus. Sane plerisque locis collocatio poesi tenetur, nam aliter poeta voces collocat, aliter solutae orationis scriptor.

Satis notum est, pronomina quaedam ante praepositionem collocari posse et praepositionem, si adiectivum cum substantivo coniungitur illudque antecedens habet vim, inter adiectivum et substantivum ponere licere. Cicero autem et Caesar, si „medius“ cum substantivo coniungunt, nunquam praepositionem interponunt. Catullus contra modo praepositionem inter „medius“ et substantivum ponit modo usitatiore collocatione utitur ut carm. 64, 167 „mediis-in undis“; carm. 67, 22 „mediam ad tunicam“; contra carm. 64, 149 „in medio-turbine“; carm. 66, 46 „per medium-Athon“.

Quamquam igitur praepositiones inter pronomen aut adiectivum antecedens et substantivum ponere licet, rarissime tamen substantivo antecedente pronomen vel adiectivum praepositioni postponitur. (Cf. Cic. Verr. 5, 63; inv. 1, 25 et ad Herenn. 4, 32, 44). Catullus autem hunc usum neglegens scribit: carm. 17, 3 „assulis — in redivivis“; carm. 31, 9 „larem ad nostrum“; carm. 52, 2 „sella in curuli“; carm. 61, 162 „omine cum bono“; carm. 64, 48 „sedibus in mediis“; carm. 64, 198 „pectore ab imo“; carm. 64, 354 „sole sub ardenti“; carm, 64, 387 „templo in fulgente“; carm. 68ᵇ, 83 „noctibus in longis“; carm. 68ᵇ, 86 „muros-ad Iliacos“; carm. 68ᵇ, 109 „Pheneum prope Cylleneum“; carm. 76, 3 „foedere in ullo“; carm. 80, 3—4 „quiete e molli“; carm. 95, 7 „Paduam-ad ipsam“. Cf. de omnibus disputatis Schultzium, Lat. Sprachl., pag. 570. §. 441, 1.

Si omnes locos, quibus Catullus praepositionibus est usus, quod ad collocationem attinet, componimus, eum plerumque praepositiones inter attributionem et substantivum posuisse videmus, quod quidem in certis praepositionibus etiam apud alios scriptores fit, sed apud Catullum hic usus praevalet.

In praepositionum numerum, quae semper post casum suum aut inter attributionem et substantivum poni possunt,

apud Catullum sunt referendae hae: „in“: carm. 4, 11; 16; 17; 20—21; 17, 3; 4; 21, 3; 23, 20; 24, 3; 33, 5; 39, 17; 45, 16; 23; 52, 2; 63, 58; 64, 48; 128; 133; 151; 167; 168; 313; 387; 66, 56; 68ᵇ, 41; 71; 83; 132; 134; 76, 3; 21; 115, 4; „ex“ vel „e“: carm. 4, 15; 9, 1; 63, 36; 64, 14; 66; 73; 74; 114; 125; 241; 251; 392; 65, 8; 65ᵇ, 2; 68ᵇ, 58; 80, 3—4; 99, 9; 109, 4; „post“: carm. 95, 1; 2; „de“: carm. 59, 3; 64, 398; 66, 39; 68, 25; „ante“: carm. 66, 67; „contra“: carm. 64, 101; „inter“: carm. 7, 5; haud dubie poeta hanc praepositionem inusitate posuit post suum substantivum, et quidem inter attributionem et substantivum, quae illud accuratius definiunt.

Praeterea autem apud Catullum praepositiones extant, quae tali collocatione rarius utuntur; has enumero: „usque ad“: carm. 4, 24, quo loco minus usitatam transmutationem „ad usque“ reperimus; „ad“: carm. 23, 18; 31, 9; 63, 20; 75; 64, 3; 121; 67, 22; 68ᵇ, 86; 95, 5; 7; 101, 2; 8; 115, 6; „ab“ vel „a“: carm. 25, 9; 61, 219; 224; 64, 132; 198; 275; 81, 3; 102, 1; „cum“: carm. 61, 162; 64, 53; 112; 298; 329; 77, 2; 98, 3; „sub“: carm. 64, 154; 354; 65ᵇ, 3; 69, 6; „per“: carm. 4, 18; 64, 2; 101, 1; „subter“: carm. 65, 7; „pro“: carm. 66, 37; „prope“: carm. 68ᵇ, 109.

Haud raro etiam alia vocabula inter attributionem et substantivum posita sunt, praepositio autem semper post primam vocem tenet locum. Graecum loquendi modum sequens carm. 33, 5—6:

— „Cur non exilium malasque in oras
Itis,“ —

quo loco duo substantiva coniunctione copulativa sunt connexa, Catullus praepositionem non ante primum sed ante alterum substantivum ponit. Hunc collocationis modum apud poetas solos reperimus ut apud Horatium carm. 3, 25, 2.[3])

[3]) Cf. Bentleius ad Horat. l. l. et Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissensch.; herausgeg. von Dr. Haase, Leipz. 1839, pag. 739, §. 418.

2. Quae iam de coniunctionibus in medium proferam, sunt haec.

Primum amat Catullus duo substantiva in versus fine tali modo coniunctione copulativa „que“ coniungere, ut substantivum, cui coniunctio est affixa, versum finiat. Exempla eiusmodi coniunctionis „que“ usus haec sunt: carm. 3, 1 et 13, 12 „Veneres Cupidinesque“; carm. 6, 11 „argutatio inambulatioque“; carm. 6, 15 „boni malique“; carm. 28, 14 „dii deaeque“; carm. 28, 15 „Romulei Remique“; carm. 31, 1 „paeninsularum-insularumque“; carm. 36, 3. „Veneri Cupidinique“; carm. 37, 14 „boni beatique“; carm. 45, 22 „Syrias Britanniasque“; carm. 45, 24 „delicias libidinesque“; carm. 64, 152 „feris - alitibusque“ (aliis vocibus interpositis ut carm. 31, 1); carm. 68 [b], 89 „Asiae Europaeque“.

His omnibus exemplis mihi certa lex inesse videtur, ita ut sententiam ponam, Catullum illum coniunctionis copulativae „que“ usum adhibere, si duo substantiva sunt sine attributione. Sane duo exempla proferre possum, ubi substantiva attributionem habent: carm. 30, 9 „tua dicta omnia factaque“, et carm. 50, 7—8 „tuo lepore-facetiisque“; sed haec sententiam meam propositam evertere non possunt.

Eandem coniunctionem „que“ etiam in duobus adiectivis aut adverbiis hoc modo collocatam reperimus ut carm. 7, 2 „satis superque“, contra v. 10 „satis et super“; carm. 15, 10 „bonis malisque“; carm. 45, 15 „maior acriorque“; semel in pronominibus carm. 35, 6 „sui meique“; bis in verbis carm. 23, 22 „teras fricesque“ et carm. 24, 9 „abiice elevaque“.

Quater in medio versu similiter legimus carm. 11, 17 „vivat valeatque“; carm. 41, 6 „amicos medicosque“; carm. 42 22 „ratio modusque“; carm. 47, 2 „scabies famesque“.

Nonnullis locis Catullus bis eadem coniunctione „que“ in versus fine utitur ut carm. 15, 19 „raphanique mugilesque“; carm. 17, 9 „caputque pedesque“; carm. 32, 11 „tunicamque palliumque“; carm. 57, 2 „pathicoque Caesarique“; carm. 64, 201

„seque suosque“; simili modo carm. 66, 40 „teque tuumque caput“; carm. 76, 8 „haec a te dictaque factaque sunt“.

Pro „et-et“ utitur Catullus carm. 64, 205 „et-atque“: „et tellus atque horrida-aequora“; pro „neque-neque“ similiter carm. 10, 4 „non-neque“: „non sane inlepidum neque invenustum“.

Quod supra de coniunctione „que“ disserui, eodem modo dici potest de „ve“ in comparativis ut carm. 9, 11 „quid me laetius est beatiusve“; carm. 13, 10 „seu quid suavius elegantiusve est“.

Carm. 30, 4:

— „Nec facta impia fallacum hominum coelicolis placent:“ — poeta „nec“ pro „non“ scripsit, quod iam Achilles Statius fol. pag. 83 annotat: „Nec, pro Non, posuit more veterum.“ Idem valet in „nec funera“ carm. 64, 83, quae verba Orellius[4]) ita interpretatur: „Dictum est, ut nec mancipi, fur nec manifestus, pro non funera. Graecos imitatur non tam viva funera significans, quam corpora miserrimae morti destinata“.

Inusitate Catullus carm. 4, 19 „sive“ omittit scribens „laeva sive dextera“ pro „sive laeva sive dextera“, quod iam Antonius Muretus fol. pag. 18 vidit: „omisit alterum, siue, usitatius enim erat, siue laeua siue dextera“.

Coniunctio „ut“ primum apud Catullum significat „ubi“ vel „qua parte“, graece „ἵνα“, qui usus apud eum solum extare videtur ut carm. 11, 3 et carm. 17, 10.[5]) Deinde „ut“ ponit pro „quam“ vel „quo modo“ ut carm. 61, 152; 167; 62, 8; 12; 66, 3—5; 30. Tertium legimus „ut“ pro „quum“ carm. 63, 2; 6; 74.

In comparationibus Catullus plerumque „velut“ vel „veluti“ utitur.

---

[4]) Eclog. Poet. Lat. Turici 1833. pag. 97.

[5]) Palladius Fuscus pag. 51 et Antonius Muretus fol., pag. 52.

„Si“ carm. 14, 17 „si luxerit“ non est coniunctio conditionalis sed temporalis pro „simul ac“.[6])

Coniunctio „quamvis“ carm. 12, 5 aut habeat vim nostri: „gleichwohl“ necesse est, aut Catullus inusitate indicativo pro coniunctivo usus est.

Pro „simul ut“, „simulac“ vel „simul atque“ quater apud Catullum simplex „simul“ extat, qui usus raro reperitur: carm. 21, 5; 22, 15; 63, 45; 64, 31.

Interrogationem Catullus non cum „cur“ sed cum „quare“ introducere solet ut carm. 23, 15; 69, 1; contra v. 10 „cur“; 76, 10; 80, 1; 85, 1; 89, 4; 6. Carm. 69, 9; 72, 5; 107, 3 „quare“ non est „cur“, sed significat „qua re“.

Si carm. 62, 45:

— „Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est;“ — lectio est recta, in verbis „dum cara suis est“ coniunctio „dum“ habet vim demonstrativam, qui usus apud alios scriptores mihi non est notus.

In verbis „si optima fias“ carm. 75, 3 exspectamus pro „si“ „etiamsi“, nam hoc loco non est conditio, quae postulat „si“, sed concessio.

In verbis Catullus saepe „nihil“ et „nil“ utitur, ut negationem augeat, ut carm. 15, 6 „nihil veremur“; carm. 16, 6 „nihil necesse est“; carm. 30, 2 „nil miseret“; carm. 42, 21 „nihil movetur“; carm. 88, 7 „nihil est“; carm. 93, 1 „nil studeo“; carm. 64, 146; 148.

---

6) Schultz. Lat. Sprachl. pag. 444. §. 344. Anm. 8.